

FLORES in oleo coque, donec fere crispen-tur; tum oleum exprime, et sepone, ut fæces subsidant.

### OLEUM VIRIDE.

R. Foliorum recentium lauri,

rutæ,

majoranæ,

absinthii maritimi,

chamæmeli, singulorum

P. uncias tres,

Olei olivarum M. libras duas.

HERBÆ contusæ leniter in oleo coquantur, donec crispæ fiant; deinde exprimatur oleum, et, postquam fæces subsederint, effundatur.

### E M P L A S T R A.

#### EMPLASTRUM ex AMMONIACO

cum

MERCURIO.

R. Gummi ammoniaci colati P. libram unam,  
Argenti vivi P. uncias tres,  
Balsami sulphuris simplicis P. drachmam unam.

ARGENTUM vivum cum balsamo sulphu-  
ris tere, donec omnino apparere definit; deinde adde paulatim ammoniacum lique-  
factum, paulo antequam refrixerit, et accurate  
misceantur.

EM-

## EMPLASTRUM ATTRAHENS.

**Rx.** Resinæ flavæ,  
Ceræ flavæ, singulorum p. libras tres,  
Sevi ovilli curati p. libram unam.

Liquescant simul, et, dum massa fluida  
est, coletur.

## EMPLASTRUM CEPHALICUM.

**Rx.** Picis Burgundicæ p. libras duas,  
Labdani mollis p. libram unam,  
Resinæ flavæ,  
Ceræ flavæ, singulorum p. uncias quatuor,  
Olei expressi, macis dicti, p. unciam unam.

Pici, resinæ, et ceræ simul liquatis adde pri-  
mum labdanum, deinde oleum macis.

## EMPLASTRUM COMMUNE.

**Rx.** Olei olivarum congium unum,  
Lithargyri subtilissime triti p. libras quinque.

Coquæ leni igne cum aquæ mensura libra-  
rum circiter duarum, perpetuo movens, donec  
oleum et lithargyrus coëant, emplastrique crassi-  
tudinem habeant. Oportebit autem aquam re-  
centem, sed prius calefactam, addere, si quæ in  
principio adhibita fuerit, ante finem coctionis ab-  
sumatur.

EMPLASTRUM COMMUNE  
adhesiveum.

**Rx.** Emplasti communis p. libras tres,  
Resinæ flavæ p. libram dimidiam.

EM-

EMPLASTRO communi lenissimo igne li-  
quato, resinam in pulverem redactam, ut cito li-  
quescat, injice, et probe misce.

## ALITER.

O L E O et lithargyro simul coctis addatur re-  
sina, paulo antequam emplastri crassitudinem ac-  
quirant; deinde continuetur coctio, donec em-  
plastrum confectum sit.

## EMPLASTRUM COMMUNE

cum  
GUMMI.

Rx. Emplastri communis p. libras tres,  
Galbani colati p. uncias octo,  
Terebinthinae communis,  
Thuris, singulorum p. uncias tres.

G ALBANO leni igne cum terebinthina li-  
quato insperge thus in pulverem redactum; de-  
inde emplastrum commune lenissimo igne liqua-  
tum his paulatim immisce.

## ALITER.

L O C O emplastri communis confecti adhibea-  
tur oleum cum lithargyro coctum, simul ac pri-  
mum coeant, necdum in emplastri spissitudinem  
cocta sint.

## EMPLASTRUM COMMUNE

## cum

## MERCURIO.

Rx. Emplastri communis p. libram unam,

Ar-

Argenti vivi p. uncias tres,

Balsami sulphuris simplicis p. drachmam unam.

C O M P O N E N D U M est eodem modo, ac emplastrum ex ammoniaco cum mercurio.

### E M P L A S T R U M e CYMINO.

R. Picis Burgundicæ p. libras tres,

Ceræ flavæ,

Seminum cymini,

carvi,

Baccarum lauri, singulorum p. uncias tres.

P i c i cum cera liquefactæ insperge, et bene misce cætera in pulverem trita.

### E M P L A S T R U M e MINIO.

R. Olei olivarum m. libras quatuor,

Minii subtilissime triti p. libras duas cum dimidia.

P ARANDUM est eodem modo, quo emplastrum commune; sed plus aquæ requiritur, & majori cautione opus est, ne adustione nigrescat.

### E M P L A S T R U M e MUCILAGINIBUS.

R. Ceræ flavæ p. uncias quadraginta,

Olei mucilaginum m. uncias octo,

Gummi ammoniaci colati p. libram dimidiam,

Terebinthinæ communis p. uncias duas.

G U M M I ammoniaco cum terebinthina liquato oleum cum cera in alio vase liquefactum paulatim adde.

### E M P L A S T R U M ROBORANS.

R. Emplasti communis p. libras duas,

Thu-

Thuris p. libram dimidiam,  
Sanguinis draconis p. uncias tres.  
EMPLASTRO communi liquefacto addantur  
cætera in pulverem redacta.

## EMPLASTRUM e SAPONE.

Rx. Emplastri communis p. libras tres,  
Saponis duri p. libram dimidiam.

EMPLASTRO communi liquefacto saponem  
admisce, ad emplastri crassitudinem coque, et  
diligenter cave, ne nimis frigescat, antequam  
in magdalidas formetur.

## EMPLASTRUM STOMACHICUM.

Rx. Labdani mollis p. uncias tres,  
Thuris p. unciam unam,  
Cinnamomi,  
Olei expressi, macis dicti, singulorum p. un-  
ciam dimidiam,  
Olei menthæ essentialis p. drachmam unam.

THURÆ liquefacto adde primum labdanum  
calore emollitum, deinde oleum macis; postea  
cinnamomo cum oleo menthæ immisceantur, et  
in mortario tepido simul contundantur in massam  
vase bene clauso asservandam.

## EMPLASTRUM VESICATORIUM.

Rx. Emplastri attrahentis p. libras duas,  
Cantharidum p. libram unam,  
Aceti m. libram dimidiam.

EMPLASTRO liquato, paulo antequam in-  
durescat, insperge et immisce cantharides in pul-  
verem

verem subtilissimum redactas; deinde adde acetum, et bene subige.

## UNGUENTA, ET LINIMENTA.

### UNGUENTUM SIMPLEX.

**R.** Axungiæ porcinæ cūratæ p. libras duas,  
Aquæ rosarum m. uncias tres.

A X U N G I A M cum aqua rosarum contunde, donec bene miscueris; deinde lenissimo igne liquefac, et sepone aliquamdiu, ut aqua subsidat; postea effunde axungiam, aqua relicta, et movendo, contundendoque sine requie, dum frigeat, in levem et minime cohærentem massam redige; denique adde essentiæ limonum, quantum satis sit ad gratum odorem.

### UNGUENTUM ALBUM.

**R.** Olei olivarum m. libram unam,  
Ceræ albæ p. uncias quatuor,  
Spermatis ceti p. uncias tres.

L E N I igne liquefacta assidue acriterque moveantur, donec penitus refrixerint.

### UNGUENTUM ALBUM camphoratum.

F I T addendo unguento albo camphoræ cum olei amygdalini aliquot guttis contritæ p. sesquidrachmam.

UN-